

eos prohibere quominus aqua hauriatur, quum suo consensu fontem fecerit communem.<sup>1</sup> — 2°) Aquarum, quæ prope agros vel per eos currunt, usus domino competit, qui tamen iis ita uti debet ut alios non lædat, vel eas penitus exhauriendo in suos usus, vel eas inficiendo et reddendo aliis inutiles. « Aqua currit, et currere debet, » ait lex, ideoque unumquemque ea uti oportet, quin aliorum utilitatē impedit. Nonnumquam contingit Statum aggerem jacere in flumine, vel privato alicui, aut civium collegio agerem jaciendi facere facultatem, quæ tamen ita adhibenda est, ut aquæ non desinant flucre per alveum consuetum postquam paululum ob opus aliquod utilitatis publicæ distractæ sunt. Coeterum si Status concesserit facultatem absumendi aquam in opus aliquod, ex quo inficiatur, vel si quis per viginti annos ea usus fuerit, nemine contradicente, jus ei vindicatur.<sup>2</sup>

*Quoad sacerdotium, nemo jure communi tenetur agros suos saceribus includere, et tamen unusquisque habet jus obtinendæ reparationis damnorum, quæ animalia libere vagantia intulerint, nisi habeantur specialis lex vel existat præscriptio.*<sup>3</sup>

**43b. — Servitudes legales in utilitatem privatam.** — **MURUS MEDIUS.** — Quando est duabus dominibus paries communis, si alteri e vicinis contingat necessitas eani diruendi, tenetur ad eani iterum quamprimum ædificandam, cui tamen alter partem æqualem impensarum conferre debet. Quod si alter eam altius efferat, vel majoribus impensis quam par est, suis solvit sumptibus excessum. Monere debet etiam vicinum suæ intentionis, ut hic sibi caveat, ne ex pariete diruta aliquid patiatur damni : quod si evenerit ex rei necessitate, post monitionem nulla erit obligatio illud reparandi damnum. Murus autem qui separat agros dominorum habetur utriusque, si uterque eo utatur, qui ideo dimidiæ partis muri et soli in quo exstructus est censemur dominus.<sup>4</sup>

**SEPES** aliquando communes sunt, ideoque communibus utriusque domini sumptibus reparandæ.<sup>5</sup>

**DE LUMINUM** nihil legibus statutum habetur : sed cuique permittitur fenestras in suis ædibus aperire, licet in alienum atrium vel fundum directas, vel murum in suo solo erigere,

1. Kenrick, II, n. 103.
2. Kenrick, II, n. 100 ; Konings, n. 687.
3. Kenrick, II, n. 99 ; Konings, n. 686.
4. Kenrick, II, n. 98 ; Konings, n. 685.
5. Kenrick, II, n. 99.